DE CALCULIS IN SYSTEMATE HEPATICO ET DE AFFECTIONIBUS TUM…

Giovanni Battista medico Sartori (medico)

DE

CALCULIS IN SYSTEMATE HEPATICO

ET DE

AFFECTIONIBUS TUM IDIOPATHICIS TUM SYMPATHICIS

INDE PROFICISCENTIBUS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN I. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD

LAUREAM MEDICINAE ET CHIRURGIAE

CONSEQUENDAM

PUBLICE HABUIT

JOANNES SARTORI

ATESTINUS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVII.

» Nullam humani corporis esse partem, scri-» psit illustris prof. Fanzago (1), in qua vel » calculi, vel lapideae concretiones non sint re-» pertae, medica declarat historia ». Et revera calcareae concretiones in tumoribus externis, in textu cutaneo, in digitis ipsis, in mammis, in pene, in testiculis, et vesiculis seminalibus, in cerebro ejusdemque membranis, in aure, in naribus, in palpebris, in ductibus lacrymalibus, atque in penitioribus et exilissimis ipsis oculorum tunicis, in glandulis salivalibus, in lingua, in faucibus, in esophago, in aspera arteria et pulmonibus, in pericardio et corde, atque in systemate sanguifero, in intestinis, in mesenterio et omento, in liene et pancreate, in ovariis et tubis fallopianis, in utero et placenta, in systemate lymphatico-glandolari, in musculis, in articulationibus, aliisque demum in partibus et textubus organicis repertos fuisse legimus in operibus quamplurimis medico-chirurgicis, ut videre est in celebratissimo opere clariss. praeceptoris nostri cons. V. A. Brera, cui titulus *Prolegomeni Clinici* (2). Quare luculentissime

patet non in solo systemate prinario, aut hepatico hujusmodi concretiones exordiri, verum in omnibus tum solidis, tum fluidis organismi partibus. Neque id porro non innotescere inficiamur valde graves et late diffusos tum idiopathicos, tunc sympathicos effectus, qui solent inde proficisci. Cum enim hae concretiones calculosae nervosas, sanguineas, lymphaticas et viscerales propagines comprimere valeant, atque multimodis irritare, earum etiam partium conditiones, functionesque perturbant; unde inflammationes, lentae suppurationes, morbosae adhaesiones, viscerum, et textuum indurationes prope scirrhosa, spasmi, paralyses, eohune spasmodicae nevrosae quamplures molestissimae et rebelles, ischiades, prosopalgia, organorum sensuum laesiones, aliaque mala bene multa ex hoc fonte prognata et legimus, et quotidie in praxi observamus. Paucis eos morbos, qui ab hujusmodi potentiis profluere possunt, complexus est Gaubius » moles nimirum, pondus, du» rities premit vicina, gravat, comprimit, cana» les obstruit, unde humorum transitus inter» cipitur, circulatio, secretio, excretio, turba» tur, impeditur. Motus, collisio, frictio atte» rit, irritat tenera solida, allicit humores, la» cerat vasa; sic dolor, calor, inflammatio, » suppuratio, gangraena, callus nascuntur. Con» tinuum vero, calculi dum in corpore manent, » incrementum etiam haec mala adauget. Quae » quidem si ad singulas partes, harumque fun» ctiones et mutuos consensus applicantur, plu» rimarum sane magni momenti affectionum ori» ginem promunt ».

Frequentius tamen, quam in ceteris organismi partibus occurrunt calcaria concrementa in systemate uropojetico, et in apparatu hepatico; et cum multiplex sit. atque adeo extensus, qui intercedit nexus inter haec organa, et ceteras corporis partes, hinc patet quod et effectus inde pendentes majores sane et numero et intensitate et gravitate esse debeant.

Ut Medicinae candidatus academico officio satisfacerem, calculorum hepaticorum historiam evolvendam suscepi, quae quidem amplam mihi exhiberet dicendi copiam, si ea cuncta referre vellem, quae tanta eruditionis atque doctrinarum ubertate in suis Praelectionibus Therapiae specialis praefatus est celebr. praecept. Brera, et praestitati temporis angustia, ac multiplex scholarum occupatio non obstitissent quominus latius progrederer. Illud praeterea accedit, quod fisus de re medica disceptando ante conspectum vestrum P. S. et omnigena sapientia vestra, et patientia, atque benignitate abuti viderer.

Calculorum hepaticorum, qui *cholelithorum* nomine veniunt, et ex bile tam hepatica, quam cystica nascuntur, tanta est et physica et chemica discrepantia, ut a recentioribus in classes quasdam fuerint divisi. Praestat interim praecipuas differentias physicas recensere. Plerique quidem cholelithi aqua specifice leviores sunt, alii ponderosiores. Color multimode variat; albidus in quibusdam est, in aliis griseus, in aliis subviridis, interdum nigricans, non raro variegatus, et plerumque subflavus, fuscus, aut ex viridio-fuscus. Quoad *figuram*, alii rotundi sunt,

alii ovales, alii angulati, alii in superficie perleves, alii satis tuberculosi et racemosi, alii pyramidales, cubici alii, vel pluribus faciebus praediti. Cholelithorum *magnitudo* variat a lentis communis ad ovi columbini et gallinacei magnitudinem, et egr. Richter in suis observationibus medico-chirurgicis calculum ejusmodi insolitae magnitudinis exhibet, qui ovalis erat et niger. *Compages* etiam varietates quasdam offert: siquidem nonnulli duri sunt et in pulverem fatiscunt, alii durissimi, ita ut malleo percussi disrumpantur, non raro quidem molliores observantur sive quia talis est eorum indoles, sive quia a circumposita bile madescunt et humectantur. *Texturam* pariter nunc lamellosam, nunc plane informem exhibent, et in centro ex albidis et splendentibus crystallis compactam, quae spermatis caeti texturae similis quodammodo est. In quibusdam calculis nucleus adest, in aliis deficit; omnes a calore candente in carbones tenuantur: plerique simul liquescunt, et flammae admoti guttatim cadunt, atque incenduntur, et resinae ad instar deflagrant. *Cholelithi* flavi et fusci igni admoti ut plurimum crepitant, et inflammati mox exstinguuntur: e contra albidi et terrei flammam non emittunt, quamquam deflagrant. Pariter Morgagnio observante et referente, nigri calculi biliares ardenti cereo admoti, nec flammam concipiunt, nec scintillas emittunt, nec in liquationem abeunt.

Elementorum compositio et proportio varia quoque observatur; quare chemice etiam differunt hepatici et cystici calculi. In ipsa he-

patis substantia parenchimatosa, et in ductibus biliferis cholelithos vere hepaticos latitare plura testantur exempla apud anatomes pathologicae scriptores, et praesertim apud Ruischium, Hallerum, Morgagnium. Sed natura horum calculorum utrum calculis cysticis analoga sit, nondum compertum est. Duos ejusmodi calculos griseos, fragiles, duros, inodoros, insipidos, alterum quatuordecim, alterum duodecim granorum in capsula cellulosa inclusos, lobulo Spigelii et hepatis substantiae adhaerentes analytico examini submisit Wurser, et calcem carbonicam cum aliqua materiae animalis copia obtinuit. Calculi cystici, *cystolithi* dicti, hepaticis frequentiores sunt. A cysticis tamen calculis sedulo distinguenda est bilis inspissata in cystide fellea, informis et angulata, pice nigrior, compacta magis ac fragilis, ad contactum, non tam pinguis, neque aqua, neque oleo therebintinae solubilis.

Biliares concretiones, quas frequentius in cystide fellea deprehendere est, passim etiam in organis circumpositis et in hepate ipso inveniuntur. Calculum intra hepatis substantiam Ruischius, in ductu hepatico Walterus, et praecept. noster Brera observarunt. Plures biliares concretiones in hepatis ulcere cum duodeno communicante collectos in homine cystifellea orbato vidit Blumenbachius, calculosque consimiles descripserunt in ductu choledoco Albinus, Heisterus et Morgagnius. In ventriculum ipsum calculos biliares illapsos legimus apud Bartholinum, et A. Lusitanum; quare neminem admiratio subeat, si saepe per vomitum, aut

rum faecibus mixti rejiciuntur biliares calculi, uti non semel ipse Brera, aliique observarunt.

Qui plura amat scire relate ad multifarias calculorum hepaticorum varietates, is immortale praesertim Morgagnii opus de sedibus et causis morborum perlegat (3).

Haec quae exposuimus satis probant plurimas esse calculorum biliarium varietates, ac differentias, unde varias varii scriptores instituerunt distributiones. Quae tamen calculorum divisio Medicis et Pathologis magis arridet, ea biliares calculos in quatuor classes dispescit, quarum *prima* albos complectitur, quorum structura crystallina est, splendens, ac lamellis conflata. Aqua leviores sunt, ut plurimum ovoidei, et columbini ovi magnitudinem raro superant, atque ex adipo-cera penitus efformantur. Hosce primum emollit, mox liquat ignis; aqua non dissolvit, dissolvit vero alcool calidus, eo tamen refrigerato subsidet solutio et lucentes exhibet laminas. Oleum therebenthinae et alcali causticum eos aeque dissolvit.

Altera classis calculos comprehendit polygonos, vel triangulares, et aliquantulum cineraceos. Extrinsecus lamellis tenuissimis constant, atque concentricis, levibus, unguinosis, intrinsecus materiam exhibent crystallinis fragmentis coalescentibus, vel melli coagulato persimilem. Maxima parte ex adipo-cera componuntur, cui aliquantulum etiam subobscurae materiae inest, quae concreta bilis esse putatur. Vix a calculis primae classis differunt.

Tertia classis calculi subfusci sunt, et ex bile condensata gigni creduntur. In brutis fre-

quentius observantur; figuram habent irregularem; saporem amarum, et duritiem sat magnam.

Qui vero calculi ad quartam classem pertinent igni admoti flammam non concipiunt, sed rutilantes primum, lente inde absumuntur, et carbonis ad instar in cinerem abeunt. Nec ab oleo therebenthinae, nec ab alcoole solvuntur.

Praestat nunc in causas harum concretionum, quae gravissimi momenti argumentum sistunt, paulisper inquirere. Quamquam admodum difficile sit rationem satis perspicuam afferre, qua calculi humani in corpore oriuntur, tamen cum Delens et Brera (4) hac statui posse videtur, calculos nempe tribus fere modis suam habere posse originem, nimirum 1.° si vitales aberrent conditiones vasorum absorbentium et exhalantium; 2.° si actio aberret generatim organorum secernentium, aut aliquod extet impedimentum in functionibus organorum e[illegible]tium; 3.° si aberret ipse nutritionis pro[illegible] Hi tres modi fusius a Brera explanantur [illegible] loco supra[illegible]to.

Propius vero biliarium concretionum causas respicientes, eas ut in ceteris morbis in praedisponentes et occasionales dividimus. Ad praedisponentes referuntur a nonnullis peculiara clima, ejusque effectus; quo quidem posito via aliqui darentur homines, qui ab hisce calculis tandem aliquando non corriperentur. Idem porro dicendum de aetatibus: infantes enim et senes calculis biliariis aeque sunt obnoxii. Ex observationibus Frid. Hoffmanni, Halleri et Soemmerringii femineum sexum et frequentio-

sime circa criticam aetatem ad biliares calculos praedisponi constat. Melancholici, hystericae, arthritici quique agunt vitam sedentariam praeexercitatis hominibus, frequentius biliaribus infestantur concretionibus. Et omnia uno verbo, quae circuitum sanguinis abdominalem, et haepaticum compescunt, vel eo modo turbant ut retardetur, inter praedisponentes causas jure recensentur.

Non paucae sunt quoque causae *occasionales*. Alii horum calculorum genesim, Gaubio praeeunte, alimentis tribuunt acidis, austeris, gravibus, glutinosis, siccis, terreis, caseosis, et difficilis digestionis; alii cum Friderico Hoffmanno vino, et spirituosis liquoribus, alii cum Hallero, vino et caerevisiae recenti. Sunt alii qui primarum viarum vitia accusant, alii qui neglectam in plethoricis venae sectionem, alii qui aliam agnoscunt causam.

Quare ev[illegible]concludi posse autumant aliqui, conditi[illegible]phlogisticam acinorum hepaticorum vel membranarum ductum biliarium et cystifelleae exsudationis processum ibi efficere per se talem, qualis requiritur, ut epigeneticae hae concretiones efformentur. Considerantes autem ibi frequenter occurrere calculos, ubi nullus est vini usus, in feminis frequentiores esse, in quibus ut plurimum quam maxime moderatus est spirituosorum usus, et raros paene esse infantes, apud quos familiares sunt primarum viarum sordes et intestinorum acida evolvuntur, e terreorum principiorum absortione et successiva depositione haec biliaria concrementa pendere fas est confiteri.

Expositis calculorum biliarium causis, nunc de symptomatibus, quibus eorum praesentia manifestatur, disputandum est. Biliares calculos sat magnis voluminis esse, qui per totum vitae curriculum nullum exhibuerunt adversae valetudinis phaenomenon, et tantummodo in cadaverum sectione reperti sunt, pluribus declaratur exemplis. Hunterus historiam mulieris narrat, in cujus vesicula fellea centum et decem calculi inveniebantur, licet dum viveret, neque dolores ad hepatis regionem, neque gastricas passiones fuerit experta. Idem observarunt Petit, Soemmerringius, Dourandius, aliique. De bajulo quodam apoplexia interfecto Morgagnius mentionem facit, qui nullum antea morbum passus fuit, in cujus vesicula fellea nigri calculi aderant: idem de viro quodam urinae viris obnoxio apoplexia perempto refert, in cujus vesicula fellea, quatuor reperiebantur calculi, nec tamen dum viveret molesti, ipso Morgagnio teste. Sed in immortali ipsius opere de sedibus et causis morborum (5) multa habentur exempla calculorum numero quidem plurium, variae figurae et magnitudinis, qui nullam molestiam, nullaque praesentiae signa, vita durante, obtulerunt.

Ne quis tamen credat rem ita semper contingere, etenim tum in hepate, tum in organis digestioni famulantibus, tum in aliis etiam partibus tales interdum perturbationes a calculorum hepaticorum praesentia suscitantur, ut valetudo ipsa in maximum adducatur discrimen. Non raro gravativum gignunt dolorem hepatici calculi ex decubitu in latere sinistro magis mo-

lestam; alias pressionis sensum provocant, qui epigastricam occupans regionem ad hypochondriam sinistrum protenditur, et interdum per totum vagatur abdomen. Hinc dolor persaepe nonnisi post ingesta alimenta molestus, post digestionem ut plurimum perfecte silet; sed interdum tam vehemens protrahitur et accenditur, ut colicos dolores aemuletur. Renalis quandoque calculi per uretheres descensum simulat, quandoque indolis tam gravis est, ut ab aegrotantibus sensui comparetur, qui si vivam animal in stomacho degeret, perciperetur. Graviores adhuc producuntur aerumnae ubi horum calculorum situs mutetur. Evolvitur tunc acutissimus dolor superius ad humerum usque, et inferius ad inguinem non raro protensus. Dolorem aliquoties leviter pungentem ad interiorem inferioremque sterni partem, vel molestum quendam sensum conqueruntur aegri non secus ac si costae abdomen versus conciderent. Mulier illa, de qua Morgagnius in Epist. XXXV. art. 16. loquitur, gracilis, biliosa in ira et animi aegritudine in dolorem incidit, qui quasi a cultro scindentibus productus infra mammam sinistram, dein infra dexteram apparuit, sub tactu erescebat, et difficilem faciebat respirationem: denique circa umbilicum, non secus ac si canes morderent, se se extendit: post aliquot dies, dum se bene habere afferebat, vivere desiit.

Inter phaenomena, quae in visceribus digestioni dicatis calculi biliares gignere solent, notantur ructus acidi, nausea, vomituritiones et vomitus, alvi constipatio, vel diarrhaea, at post

doloris accessum evacuationes alvinae subalbidae, digestionis languor, praecordiorum anxietas, cardialgiae, colicae spasmodicae etc., phthysis et tabes hepatica, affectiones flatulentae imi ventris, animi deliquia, tensiones hypochondriorum, magna ventris durities, et hoc genus alia. Icterus saepe universalis, et non raro etiam partialis, internum oculi cantham occupans, symptoma calculorum biliarium peculiare constituit, qui frequentius biliares calculos in choledoco existentes demonstrat. Hujusmodi autem icterus abit, reditque per vices, eoque cessante, feces biliosae expelluntur. Sub tot tantisque turbis pulsus immutatos ut plurimum perstare mirum est, ipsumque dolorem infidum esse saepe et fallacem declarat experientia. Inter turbas consensuales summopere metuendas referuntur vertigines, oculorum suffusiones, pertinaces narium haemorrhagiae, convulsiones et spasmi sic dicti clonici, epilepsia, melancholia, mania, mensium suppressiones, febriles motus et asthmatici accessus, atque hydrops ascites, uti observarunt Swietenius et Home. Accedunt interdum tympanitis, haemorrhoides, vesiculae felleae et proximarum partium exulcerationes, phthysis hepatica, syncopes, et apoplexia. Et revera in hepatis historia, quam publici juris fecit egr. Bianchi, atque in operibus Richteri plurima referuntur exempla apoplexiae et mortis subitaneae ex colicis doloribus a calculis hepaticis inductis. Praeterea eorum plures quorum cadavera a Morgagnio dissecta, calculos in systemate hepatico ostenderunt, apoplectici perierunt. Cujus quidem rei sum-

mum, qui adest inter systema hepaticum et caput, consensum culpam gerere probabile admodum est.

Salutari saepe conatu studet natura ipsa molestissima haec corpora ab angustiis, quibus irretiuntur dispellere. Validi tum dolores per intervalla redeuntes aegrum angunt, molesta tensionis sensatio in hypochondrio dextero illum excruciat, nausea, vomitus, et febriles motus cum pulsu lento, contracto, irritato nascuntur, quae omnia interdum post aliquot horas, interdum etiam post dies nonnullos revertuntur, donec tandem vel expulso calculo, perfecte sileant, vel eo adhuc retento ingravescant et in mortem finiant.

Relate ad calculorum hepaticorum prognostica auguria, id pro certo tenendum est biliares calculos ut plurimum insanabilem morbum sistere, nisi vel solvantur, vel dispellantur, et praesertim si aetatem senescentem infestent. Jam Brera observavit juvenem a prima juventate, calculis biliariis affectum, qui per vomitum calculorum sanitati restituebatur. Sed in genere rarum est aegros ab hocce morbo omnino solutos iri; ubi enim calculosa dispositio in sistemate hepatico evoluta est, facillime reproducuntur, atque in compage hepatica nidulantes latitant.

Quamquam difficilis sit calculorum biliarium therapia, nec adhuc quidquam certi in hac re constet, longe ab utili Medicinae scopo deflecteret, qui consilia et monita ad eorum curationem proposita vel negligeret, vel flocci faceret. Biliares calculos ab iisdem dissolvi sub-

stantiis quae ad eos extra corpus solvendos pares fuere, nemo erit qui dicat. Solutiones tamen salinae uti muriatis ammoniacae, sodae, potassae, acetatis potassae, solutiones saponis medicinalis, et aqua calcis non exiguum interdum utilitatem attulerunt sive calculos dissolverent, sive dolores et passiones mitigarent. Solventia vegetabilia non raro, succi recentes et extracta saponariae, taraxaci, cichorei, fumariae, folia uvae ursi, fructus horrei et similia cum fructu in usum deducebantur. Prospero pariter cum successu praescribebantur lac asininum, serum lactis vaccini, ova recenta in aqua soluta, vitelli ovorum in liquore anodyno minerali Hoffmanni, quae omnia ad dolores saltem leniendos multum conferre visa sunt. Opium etiam larga dosi hocce scopo fuit adhibitum; verum cum ex ipsius usu alvus obstipetur, sic conditio pathologica hepatica magis adaugetur.

Quemadmodum vero ex analysi chemica elucet variam esse indolem et proportionem elementorum calculos biliares constituentium, eamque impossibile est determinare, sic difficile arduumque est opus stabilire quibus remediis resolutio perficiatur. Indicationes inde, quae erumpunt valde incertae sunt, et therapia non nisi magna ex parte empyrica esse potest. Sed dum in hac re vagati sunt Clinici, Dourandius clariss. remedium detexit fere specificum, cujus utilitatem magnis extollunt laudibus Soemmerringius, Maretus, aliique summi in arte medica viri, et Brera ipse plaries in sua praxi observavit et expertus est. Paratur hoc reme-

dum ex tribus aetheris sulpharici partibus nuptis cum partibus duabus olei essentialis therebenthinae. Haec mixtura propinatur a scr. j ad dr. j intra diem, et evadit mitior, si misceatur cum uno vel altero ovorum recentium vitello. Ingesto remedio superbibendum jubet auctor vel serum lactis recens, vel jusculum vitulinum aquosum, vel syrupum violarum aqua dilutum. Deinde doloribus quidquam mitigatis propinetur bene purgans oleosum.

Hoc tamen remedium saepe respuunt aegri, utpote quod nauseas, rutus et flatus movet. Haec vero incommoda praecaventur illud vitello ovorum, vel syrupo violarum excipiendo. Cavendum vero ne sub doloribus a calculis inductis adsit simul conditio phlogistica in hepate ejusque propaginibus; quae ubi innotescit tollenda prius est sanguinis missionibus vel localibus, vel universalibus, quam remedium tale propinetur.

Clariss. Thenard multa movet dubia circa vim solventem hujusce remedii, quod tamen propria experientia suffultus valde commendat illustris praeceptor noster Brera, et jure quidem, cum optati plerumque respondeant effectus. Praeterea aether sulpharicus hocce modo praescriptus vim possidet, qua dum sensibilitatem adauctam obtundit, spasmodicis etiam doloribus obstat, viresque intestinorum digerentes erigit.

Ad sedandos dolores, ac molestias a calculis inductas mitigandas opium prae primis laudatum fuit, ejus vero loco in praesentiarum morphinam ejusque salia potius commendamus. Pur-

gantia blanda oleosa suam etiam utilitatem habent; nocent vero emetica et drastica stricte dicta.

Ex calculo biliari inflammationem hepatis oriri constat ab experientia Dourandi, Fr. Hoffmanni et Brera. Attamen in perveteri, et summopere chronico morbo cauta est venae sectio instituenda. Verum alii in ea versantur sententia, ut putent hepatis inflammationes data opera, provocandas esse, ex eo quod abscessu hoc pacto nato via eruptura calculo pateat; quo imo eo devenit, Petit, ut proponeret viam hisce calculis resecandam esse chirurgico cultro. Sed docentibus clarissimis Morgagnio, Frankio, aliisque, haec preternaturalis via tentanda non est, nisi forte adsit, vesiculae felleae cum parietibus abdominalibus, adhaesio, quod quidem iisdem testantibus auctoribus cognitu maxime difficile est.

Quoad regimen diaeteticum, alimenta animalia, salsa, spirituosa, aromatica, stirpes amaras, et aeres, protractas vigilias, et immodicas exercitationes vitare sedulo oportet. Plura quae ad regimen prophylaticum pertinent, jam ex his quae de therapia diximus, clare patent.

ADNOTATIONES

(1) Institut Pathol. Pars II. cap XVI.

(2) Prolegom. Clin. Art. V. § XXIV pag 207. 303.

(3) Vid. Epist. III. Art. 4., IV 5 13., V 6 19, XXI. 2. 30 36., XXIV 15 16., XXVI. 21.; XXVII. 2.; XXX. 14., XXXV. 16. 18., XXXVI. 4., XXXVII. II. (13. 14 15. 16. 17 18. 19 20. 22 23. 24. 25. 26 27. 28. 29. 30. 36. 37 38. 39 40 41 42. 43 44 45. 46 47 48. 49. 50. 51. 52); XXXVIII. 20; XLIX. 2.; LVI. 7. 9. 31.; LVII. 10, LXV. 12. 13., LXVIII. 6.

(4) Vid. Brera *Giornale di Medicina pratica* Vol. III. pag 455.; Proleg. Clin. pag. 231

(5) Locis citatis.

THESES

I.

Electricitas egregium sistit auxilium adversus plurimos tam acutos, tum chronicos morbos.

II.

Contagia spontanea minime negari possunt.

III.

Antiquorum medica praecepta neque negligenda, neque caeco impetu amplexanda.

298